

V C  
2911





h. 10





h. 23, 27 Br. 23 (27)

Vc  
2911

PANEGYRICVM CARMEN.

IN ADVENTVM ET

honorem.

ILLVSTRISSIMI  
PRINCIPIS AC DOMINI

D. AVGVSTI DVCIS SAXO-  
NIAE, SACRI ROMANI IMPERII

Archimarschalci & Electoris, Landgrauj Thuringia,

Marchionis Mysnia, & Burg-

grauj Magdeburgensis, Domini

fui Clementissimi.

Scriptum.

A

IOBO FINCELIO D. PHYSICO

in Repub. Cygnea.

I E N A E

E X O F F I C I N A T Y P O G R A P H I -

ca Donati Ritzenhani, An-

no 1573.







**A**rborea nuper solus proiectus in umbra,  
 Ad Moldæ ripas, argutos inter olores,  
 Pestiferæ cecini causas luis atq; medelas:  
 Tum subito assistens præfulgens casside Pallas,  
 Ecquid, ait, Clarij fontis fidissima cura,  
 Et studio medicas, laudato exculpte per artes,  
 Metrorum sub iura pedes dum nectere tentas,  
 Forte leues Elegi, vel te obiurgator Iambus,  
 Siue iuuant inter pastoria sibila sylvas.  
 Desere tandem humiles, & inanes desere lusus,  
 Ac tibi si fama est, si frondens laurea cordi,  
 Aude aliquid magni vates, quid stringere terram  
 Lintre paras humili, Pelago da grandia vela.  
 Contemplare animo veterum monumenta laborum,  
 Atq; operas vatum celebres, quin nobile quivis  
 Quod caneret, delegit opus, præclaraq; facta  
 Vberiore sonant grauius diducta cothurno:  
 Vilia sordescunt vsu, & splendescere versu,  
 Aonio nequeunt, non ranis viuit Homerus,  
 Troiano potius bello, laudescq; Maroni  
 Non culicis nugæ tribuunt, sed prælia Turni,  
 Staius à Thebis, & forti viuit Achille.  
 Nectibi materies deerit, quæ plurima circum  
 Hinc atq; inde volat, gestarum pondera rerum  
 Fama recens memorat, tot facta geruntur in orbe  
 Et tot bella duces, tot prælia feruida miscent,  
 Pelle iuuenis possint, vel Cæsaris actis  
 Vestri concertare dies, quis deneget artes,  
 Grande Dei donum, multos creuisse per annos?  
 Mite patrociniū doctis qui præbet Athenis,  
**AVGVSTVM** spectas, Ptolomeum temporis huius,  
 Saxonix patrias qui iura dat æqua per oras.



Quem Sículus caneret vates, si viueret ipse  
Doride cum Musa: quin vrbs supereminet omnes  
Hesperias longè, muris non cincta, vadoso  
Gurgite sed pelagi, circumsonat Hadria fluctu,  
Illa animo ingenti schyticas perfringere vires,  
Nauali nuper bello, curuasq; sarissas  
Ausa fuit, remos Geticos demersit in vndas,  
Disñciens classem, virtute & numine tecta,  
Exitioq; dedit, tabulisq; forisque solutis,  
Victrici pugnans Rhodopeos ense latrones.  
Ergò age de tantis, postquam tibi copia cornu  
Obijcitur rerum, quiddam desume canendum,  
Et res delectas facundia prompta sequetur.  
Sic ait: & dextra ramum canentis oliuæ  
Concutiens, liquidis sese Diua intulit auris.  
Obsequor & merito, quis enim tam iusta monenti  
Pareat inuitus? meritas hinc dicere laudes  
Et tua facta velim victuro extollere versu,  
O Auguste sacris Dux clementissime Musis,  
Si daret auspicijs vires crinitus Apollo.  
Exile ingenium fateor tenuemq; Camenam,  
Et neq; contulero spinas cum flore rosarum,  
Sed voluisse sat est, sæpe est laudanda voluntas,  
Atq; Ducem patriæ pietas est dicere versu.

At mihi si plenum spirarent pectora Phœbum,  
Sint numeri Isocratis, Xenophontis gratia, torrens  
Isei, cultus Lysia, Demosthenis ardor,  
Non possem digna tamen enumerare Thalia,  
Et nomen, laudesq; tuas super æthere notas:  
Ergò opus haud ingens, sed paruum condo poëma,  
Nec lectu forsan, nec tanto Principe dignum,  
Sed magis indicium gratæ quod mentis haberet.

Ac



Ac velut vmbrosa quando lignator in Ida,  
Arboreum nemus omne oculis collustrat, & inde  
Materies operi quænam sit idonea spectat:  
Sic inopem facit amplarum me copia rerum,  
Quæ primum expediam, mentem mihi cura fatigat,  
Ex numero tanto, tanta serietq; bonorum.

Si genus & proavos spectes, si nomen avorum,  
Saxonicae decus est lumenq; propaginis ingens,  
Cæsareo Augustus Princeps de sanguine cretus.  
Ordine vix numeres famulante propagine peltas  
Heroum insignes, Regesq; Ducesq; potentes,  
Saxo grauis, Mysusq; sagax, fortisq; Thyringus  
Quos patrijs tenuere oris, labentibus annis.  
Caroli at hi summo traxere à stemmate Magni  
Heroum genus, & virtutis semina auitæ.  
Est aliquid nasci summorum ab origine Regum,  
Quos rexit Pietas, factorumq; æmula virtus.  
Semina posteritas retinet virtutis auitæ,  
Quæ veluti stimulis animos exercet & vrget  
Assiduis, cogitq; gerimemorabile factum,  
Ætas quod præsens stupeat, quod postera laudet.  
Scilicet à fructu fœcunda agnoscitur arbor,  
Et distenta probant fœlices horrea messes.  
Stipite, non aliter, fuerit si forte receptus  
Surculus, excultos profert ex germine fructus.  
Rebus in humanis naturæ maxima vis est,  
Illa latere diu, seseq; abscondere nescit,  
Hinc quibus impressus stimulus virtutis inhæret,  
Sponte sua assuescunt virtuti, & ad ardua tendunt.  
Hos neq; fors inimica premit, neq; tristia fata,  
A recto poterunt excelsam auertere mentem.  
Hac ratione Duces, quos Saxonis ora veretur,

A 3

Obsequio



Obsequioq̄ colit, vis herox̄ insita menti,  
Et recti studium, & virtutem impellit ad omnem.  
Roma suos laudet Fabios, fortesq̄ Camillos,  
Ipsa Duces patrios, celebres ingentibus ausis,  
Et fama dignos, celebrat quoq̄ Theutonīs ora.  
Vera loquor, procul hinc leuis assentatio cedat,  
Liuor & obliquus, virtuti inimicus & ofor  
Abscedat, locus exemplis sit namq̄ vetustis,  
Atq̄ Ducum fasti veterum documenta recensent,  
Omnibus vnus amor, leges sancire verendas,  
Iustitiæq̄ decus patrias stabilire per oras,  
Idem amor, in populis iusti defendere normam,  
Et scelerum segetes, ense extirpare cruento  
Pestíferas, legum violarunt quando tenorem.  
Præstitit hoc Princeps, qui ferrea nomina gessit,  
Cui ferrata chlamys cataphracti corporis artus  
Induit assiduo, cum subdita turba pararet  
Insidias Domino, sceleratos ipse repressit  
Supplicijs grauibus, namq̄ illos vomere nudos  
Impellens lorīs euertere rura coëgit,  
Ense domans reprobos, & forti Marte rebelles,  
Nec virtute minor fuit isto Principe, & armis,  
Henricus, patriæ noua fama & gloria terræ,  
Ille animo sapiens & dextra promptus in hostes,  
Magnanimi est nomen Ducis & victoris adeptus,  
Huic quoq̄ Cæsareo frontem diademate cingunt  
Imperij Proceres, sed non diuturna potestas  
Ante diem iacuit, iacuit cum funere nomen.  
Quid memorem fortes animos, quid nescia frangi  
Pectora, si quoties bellifuit alea iacta,  
Hos licet aduersis præssit fors aspera rebus,  
Ut variare vices solet & mutare duellum,

Mens



Mens generosa tamen, non æquo obnoxia fato  
Nunquam succubuit, constans neq̄ corde re sedit  
Ardor pugnandi, quo durius omne periculum  
Sæuius atq̄ fuit, creuerunt pectore vires  
Indomitæ tanto magis, ipsi hostibus ingens  
Ut vis terribilis, vis formidabilis esset.  
Robur ut immotum rapidi vim sustinet Euri,  
Aut oneri luctans ceu palma renititur omni,  
Cum cedant corili ventis & cana salicta.

Talis erat quondam iustis Fridericus in armis,  
Mœsta genam admordit lachrimis cui mater obortis,  
Cum fugitura manus hostiles, atq̄ mariti  
Indignos animos, iter ipsa in nocte capeffit,  
Quâ iacet Isnaci VVarburgum nobile castrum,  
Laudatum quondam multis, & notum ab Elyssa  
Pannoniæ Regis nata, ac heroide sancta.  
Is patris expertus fraudes, is Cæsaris arma,  
Ærumnas inter varias, & tristia damna,  
Contudit hostiles acies, & prælia tandem  
Miscuit armi potente manu, & ditione paterna  
Eiectus, recipit terras cum vindice dextra  
Hostibus ereptas patrias, arisq̄ focisq̄  
Restituit placidæ tranquillia tempora pacis.

Notus erat populis etiam illo nomine Princeps  
Albertus Saxo, quo vix præstantior alter,  
Armis siue fuit, vita Dux siue togata.  
Huic animi cum fratre fuit coniunctio tanta,  
Tantus amor fratris, quamuis quoq̄ gratia fratrum  
Rara sit, ut multis communia tecta tenerent  
Annis, atq̄ agerent placidum sine litibus æuum.  
Saluete illustres animæ pia pectora fratres,  
Vos pacis documenta datis, fraterni & amoris,



Hinc vestrum nomen volat vsq; ad sydera notum,  
Et vos posteritas simili pietate sequetur.  
Atq; aliquis spectet, si tanto in Principe forsan,  
Siue animi dotes, non hoc prudentior alter,  
Consilium aduersæ si res petiere, nec vllus  
Pectore magnanimo tantos superare tumultus  
Aut sedare graues belli potuisset, & arma:  
Siue lacertofo herculeas in corpore vires,  
Forte aliquis spectet, non illo tempore Princeps,  
Firmior vllus erat, nec erat robustior alter.  
Indomitum Annibalis fuit huic, & robur Achillis,  
Hostibus innumeris hinc formidabilis vnus,  
Res gessit magnas, & forti Principe dignas.  
Omnia Germanis cum Mars turbaret in agris,  
Pannoniæ hinc acies, hinc Sarmata, Carolus illinc  
Burgundus bella inferrent, tremit Austria motu,  
Atq; cruentatus tunc Sequana tristior ibat,  
Omnia plena metu, plena omnia seditione:  
Succurrit lapsis maturo robore rebus,  
Magnanimus Princeps, & sumptis impiger armis,  
Pannonias acies multo cum sanguine fudit,  
Et patriam Induperatori defendit & agros.  
Hostibus incipit fugam versis, mox rura recepit  
Belgica, quæ Domino reddit, populosq; rebelles  
Ense domat, totos octo dum sustinet annos  
Seditione feros hostes, & Cæsare natum  
Liberat insidijs, Gandauis & carcere clausum.  
Sic patriæ pacem, sic reddidit otia Regi,  
Et DEVS adiuuit iustissima Principis arma.  
Nec reticendus eras Claris Henrice Camœnis,  
Ante alios qui laudis habes quoq; nobile nomen.  
Aspera fors quamuis fuerat, nec Principe digna,  
Dura



Dura tamen potuit tolerare incommoda vitæ,  
Addictusq; Deo sanctæ pietatis amore,  
Dux pius haud timuit profiteri dogmata Christi,  
Atq; minas inter certisq; pericula cladis,  
Christum non dubitante animo confessus & ore est,  
Hinc quoq; fraternis census ditionibus auxit,  
Atq; suis terras natis stabiliuit opesq;.  
Sic Deus extollit, sic iustos sæpius ornat,  
Et pietas homini est merito tutissima virtus.

Verum ad te redeo Dux illustrissime, factis  
Et fama Augusti nomen qui Cæsaris æquas,  
Non veteres tantum ceræ tibi laudis honorem,  
Nec suspensa tholis, fumosa insigniæ, ab altis,  
Attribuunt, propriæ potius tibi nomina laudis  
Et titulos firmas, nec laudi cedis auitæ.  
Ac magna se laudum serie, fastigia rerum  
Summa sequar tantum, & dulcem decerpere florem  
Me iuuat, inuidiam haud metuens, neq; iurgia linguæ  
Effrenis, verè quod dicitur, illud honesto  
Non minus eloquio, venturis pandimus annis.

Lenis vt est, bonus ipse bonis, vt mitis egenis,  
Facis amans, reprobris sic contra durus & asper,  
Iusticiæ seruans normam, legumq; verenda  
Vincula defendens, patrijs assertor in oris.  
Hinc cœli ex adytis migrans Astera vicissim,  
His voluit tandem placata insistere terris,  
Iusticiæq; decus sanctæ, legumq; tueri.  
Sic ius cum violant scelerati turpibus ausis,  
Et scelus accumulans sceleri, gaudentq; nocendo,  
Non impune ferunt admissas crimine noxas,  
Sed scelera atroci pensantur atrociora pœna.  
Nota nec excutiam, quin experientia testis  
Edocet, in fontes vlttricem Principis iram,

B

Quando



Quando reos meritis pressit Rhamnusia pœnis.  
Sic quoq; legitimi defendit vincula lecti  
Coniugijq; decus sanctum castumq; pudorem,  
Ipse etiam castus Princeps, qui fœdera coniunx  
Casti connubij veneratur, amoreq; flagrat  
Coniugis ardenti dilectæ, hinc pignora amoris  
Ipse Deus numerosa dedit, sobolemq; paternas  
Victuram in laudes, & fortia facta parentis.

Adde animos fortes, constanti Principe dignos,  
Hoste lacessitus si quando sumpserit arma.  
Ille quidem nollet proferri semina belli,  
Nec grauis est vlli, vicinaue tecta lacessit,  
Ius sed amicitia sancte conseruat, & ornat  
Officijs meritisq; suis, & triste duellum  
Est cui nulla salus, animo auersatur & odit.  
Insidijs autem fuerit si quando petitus,  
Aut coniuratos animis si senserit hostes,  
Pectore iusta etiam tandem indignatio surgit,  
Hostilesq; manus generoso Marte coerchet.  
Iusta Deus iuuat arma, autori semper iniqua,  
Seditio est, nulli fas sit contemnere leges.

Atq; aliquis dubitet, maior ne potentia, siue  
Matura excellat prudentia rebus agendis,  
Maior, in heroo Dulce, sed prudentia magnas  
Aequat opes, & opes compensat acumine mentis.  
Imperio late patrijs dominatur in oris,  
Dum dat Saxonibus, dum Mysis atq; Thyringis  
Iura potens, ciuesq; Ducem populiq; verentur.  
Nec tantum ipse suas ditiones Marte tuetur,  
Fortunate Deo, sed auitas limite terras  
Profert vltiore, nouis dititionibus auctus,  
Sed non vlla magis fructu se prodiga tellus  
Vberiore aperit, quam laeta Thyringia glebis,

Fructis



Fructiferis, vbi gaudet ouans per rura colonus,  
 Flaua Ceres postquam lætas inspicat aristas.  
 Mysia sed duri dat massas forta metalli,  
 Vnde coquunt flammis argenti pondera puri,  
 Atq; locis alijs sese quoq; flaua metalla  
 Eruta despecubus produnt, operasq; rependunt,  
 Sæpius atq; Duci non irrita munera præstant.  
 Parta labore suo, Dux tempore prouidus omni,  
 Quæq; accesserunt studio curaq; parentum,  
 Asseruat, semper condus promusq; fidelis.  
 Sed nec inutilibus tam diues capsa redundat  
 Diuitijs, prorsus nullum admittentibus vsum,  
 Vt formicarum congestos cernis acervos,  
 Sed quorum bona pars cedat temptisq; Scholisq;  
 Expenis varijs, quin doctis munera largus  
 Ipse viris tribuit, sed & vrbibus inclyta virtus  
 Auxilium præstat, cæralia dona ministrans.  
 Summa petit liuor, quo quis præstantior omni  
 Ex parte est alijs, hoc expositus magis idem  
 Inuidiæ est, cæcisq; odijs bellisq; minisq;  
 Hinc tecta insidijs oritur vis, prodiga fraudis,  
 Resq; videns lætas irascitur impius osor.  
 Hunc etiam insidiæ tacitæ petiere, doliq;  
 Versuti, exitium scelerata fraude parantes.  
 Et fortasse odijs fouet imo incendia corde,  
 Aufonijs Cacus latè qui præsidet oris,  
 Artibus aufonijs qui nunc quoq; fuscitat ignes  
 Bellorumq; fates grassans per belgia rura.  
 Sed Deus ipse ducem diuino numine texit.  
 Ringere liuoriners, tamen est in Principe magno,  
 Quod metuas, & in hoc nihil insidiosa valet vis,  
 Hic etenim didicit sapiens diffidere Princeps.  
 Est ipsi porro Pietas super omnia curæ,

B 2 Ad cœ



Ad cœlum quæ monstrat iter, certaꝫ gubernat  
 In terris ratione hominum, ceu regula vitam.  
 Nosse Deum virtus est maxima Principis, inde  
 Dogmata pura Dei templisꝫ Scholisꝫ tueri,  
 Quæ Deus huic mundo patefacti munere verbi  
 Largitur quando legem à sinaide rupe  
 Fulminibus iactis interꝫ tonitrua sancit.  
 Christus & in vitreis consistens Iordanis vndis,  
 Voce ministerij Vatis, cum dicitur Orbis,  
 Vnicus, è cœlo patre testificante, redemptor.  
 Hæc olim Aufonijs tenebris, & nube sepulta,  
 Cum veluti iacuere situ, nec debitus aris  
 Esset honos error passim sed cœcus in orbe  
 Regnaret latè, casum miseratus acerbum  
 Ipse Deus, cladem sarcit, tenebrisꝫ fugatis  
 Restituit lucem nobis piacura Lutheri,  
 Saxonice terris, vbi nunc quoꝫ dogmata fulgent  
 Sancta Dei, hospitiumꝫ pijs dat cœtibus, amplis  
 Sumptibus Augustus, templis curatꝫ doceri  
 Atꝫ Scholis, mentes ignaras dogmata Christi,  
 Nec spargi sinit errores, sed protinus omnes  
 Limitibus pellit patrijs, & somnia eorum,  
 Præcipue ante alios qui dum recti esse laborant,  
 Pontificum de more iubent dubitare, nec vlla  
 Adflictæ monstrant vnquam solatia menti.  
 Hanc Deus ô procul hinc dignare auertere pestem,  
 Et conserua inter nos puri semina verbi.

Vtꝫ Dei prior est, sic artes cura secunda  
 Principis, ingenuas doctis retinere Lyceis,  
 Sumptibus hinc parcit nullis, cœtusꝫ docentum  
 Munifice sustentat, adaugens præmia doctis,  
 Magnus Mœcenas, & Musis semper asylum.  
 Hoc duce Leucoreis, inter caput extulit, aruis

Ipsa



Ipsa alias, tantum, studijs Academia rectis,  
Quantum inter Corillos assurgit Pinus in auras,  
Iuraq; seu spectes, seu quas Podalirius artes,  
Præsidium vitæ monstrauit, siue Machaon,  
Artes seu reliquis contentas nexibus arctis,  
Quæ numeros, voces, mensuras, sydera tractant,  
Noticiam linguæ triplicis, seriesq; locorum  
Rebus in innumeris, dissertandi vel acumen,  
Castalioq; animos teneros adducere fonti,  
Omnibus his studijs Academia docta redundat.  
Has amat, has studio Princeps complectitur artes,  
Vtq; suos populos his exornaret & vrbes,  
Doctores teneros voluit sacrare iuuentæ,  
Et patriæ Pater est, doctas dum prouehit artes.  
Oppida sic fieri Plato, fœlicia dixit,  
Cum sapiat Princeps, vel cum sapientia regnet.

Quin mentem varias naturæ inquirere causas,  
Principis excelsa iuuat omniparentis, & eius  
Quæ rerum testis probat experientia tuto,  
Peruigili voluit secreta addiscere cura,  
Resq; fide maior, quæ quondam docta Vigonis  
Pagina disseruit, Rolandi siue vetusti,  
Artificesue alij docuere, hoc pectore totum  
Dux generosus alit, memori quæ mente recondit.  
Sic varios etiam quæ possint tollere morbos,  
Plantarum ex mixtis medicamina plurima nouit.  
Scilicet hæc etiam quondam regumq; ducumq;  
Maxima cura fuit, nec res est Principe magno  
Digna magis, multos meritis quam velle iuuare.  
Atq; hominem seruare, homini sit prima voluptas.  
Indiderant plantis quondam sua nomina Reges,  
Harum cum virtus esset, perspectus & vsus,  
Hinc quoq; laudis habent & posteritatis honorem.

B 3

Non



Non amat ignauæ, nec desidis ocia vitæ,  
Est quod agat semper, curis si forsitan aulæ  
Liberior grauibus fuerit, vel lustra ferarum  
Nota petit, prædamq; profunda per auia quærit,  
Insequiturq; feras, visisq; inferre Molossi  
Consueuere necem, ac latratibus omnia complent.  
Aut acres venatur apros, vel detinet vrsos  
Villosos canibus, vel gaudet strage luporum,  
His exercitijs robur quia corporis augment,  
Atq; alijs, sanæ traducit tempora vitæ,  
Nec minus idcirco, studijs castrensibus vsus,  
Exercet niueis certamina fortis in armis,  
Est quibus vix olim bellis assueta vetustas,  
Ante alios etiam celebris Germaniæ, quando  
Concurrunt cataphracti equites pugnacibus hastis.  
Vidi ego, quæ veterem vitreus circumfluit Ilmus  
Oenagoram, heroes Prestantis Principis ausus,  
Namq; virum currentis equi post terga repellens,  
Ferreus euertit, Princeps luctator in armis.  
Hoc adeo indomito fœlix Germania Marte,  
Extera non metuit peregrinis viribus arma.  
Ovtinam iungat concordia mutua mentes.  
Tempore tam tristi, quo terra & regia Cœli,  
Signa secuturæ portendunt plurima cladis.  
Hic quoq; certamen, neruo pulsante sagittam,  
Exercet, curas Dux inter sæpe seueras.  
Dexteritas vero quanta est, industria quanta  
Principis, ad metam cum torquet missile telum?  
Doctus in hoc Princeps cedit certamine nulli,  
Veloci iaculo nulli est Dux ipse secundus,  
Atq; illi poterant cortinia cedere tela,  
Impetrat hinc certans sæpissime præmia victor.  
Pythia sic Phœbo quondam certamina sacra,

Atq;



Atq; Ioui, arcadico in certamine, Olympica, Pisæ  
 Elidis ac campis fuerant, apijq; corona  
 Isthmia, laudati tenuerunt nomen honoris,  
 Et Nemeæa olim pinu decorata fuere.  
 Non leuis ambitio, neq; prodiga gloria laudis,  
 Ludrica causa fuit ludorum, maior in illis  
 Causa hic extiterat, vincendi nobilis vsus  
 Ingentes animos armauit ad ardua bella,  
 Vt cuperent victos victores ire per hostes,  
 Et dulcem patriam valida defendere dextra.  
 Ac velut elisis, victum Pythona, sagittis  
 Arci tenens strauit pulchro certamine Phœbus,  
 Ne terrori alijs serpens, ne noxius esset:  
 Sic Auguste etiam tu nostro tempore Phœbus,  
 Conficis horrendum iactis Pythona sagittis  
 Triste Ates monstrum, templisq; scholisq; inimicum,  
 Et sanctæ reddis concordia tempora pacis.  
 Grata Deo pietas est, mæstis reddere templis,  
 Adflctisq; diu pertristia iurgia pacem.  
 Vtq; suis populis saluantis dogmata Christi  
 Dux pius ipse, & honestas vincula leges, *auræa*  
 Iusticiæ, iustus patria in ditioe tuetur,  
 Sic exercitium ludorum & ciuibus vsus  
 Permittit, iubet atq; rudem formare iuuentam,  
 Fortibus vt discant iaculando assuescere factis,  
 Sumptibus atq; iuuat, ludos vt seruet in annos  
 Perpetuos, præsensq; ornat spectacula Princeps  
 Iam quoq; Cygnea, postquam peragentur in vrbe,  
 Vrbe illa quondam celebrata à fortibus armis,  
 De iaculis quæ nomen habent, certamina tortis,  
 Dux aderit præsens, cum nato & coniuge cara,  
 Quæ fata Danorum fuit inclyta foemina Rege.  
 Dum loquor, ecce venit procerū comitante caterua,



10 2911 04  
Quadrupedante inuectus equo, Illustrissim<sup>o</sup>s Heros.  
Ergo ades exoptate tuis, ergo illa refulget  
Læta dies tandem, niueo signanda lapillo,  
Qua Cycnea videt generosi principis ora,  
Augustamq; Ducis faciem, gaudetq; tueri  
Maturæ in placido vultu grauitatis honorem.  
Omnibus vna fuit vox, ô fœlicibus adsis  
Auspicijs, patriæ pater, ô te numina seruent,  
Viue valeq; diu, pyliosq; extende per annos  
Liber ab ærumnis, secura per otia vitam.  
Sic ait, extensis palmis ad sydera vulgus,  
Sic ait, & vocem vox crebris plausibus vrget.  
Ipsi etiam gelidi, venienti iubila, fontes,  
Atq; dedere antris rapidi caua littora Moldæ.  
Et montes visi celebres attollere plausus,  
Arboreæq; comæ nutu dant signa sonoro  
Leticiæ, Sol ipse vagum per inane, serenis  
Splendidior radijs, & lux purissima fulget.  
Spargit humo florum venienti germina Chloris,  
Et spicis ornata Ceres fert munera ruris,  
Lenæusq; pater generosi pocla Falerni,  
Plenaq; leticiæ sunt omnia visa per urbem,  
Vidit, & vt vidit, lauro redimitus Apollo,  
Aonio iussit memorari talia versu.  
At tu qui studijs Princeps es portus & aura,  
Accipe pacato Musarum munera vultu.

### EPIGRAMMA.

Læta dies venit, pulchro veneranda triumpho,  
Qua videt Augustum subdita terra Ducem,  
Hunctibi Cycnei ciues, gratantur honorem,  
Viue diu populis Dux generose tuis.  
F I N I S.

nc



Pou Vc 2977, Ok

ULB Halle

3

002 491 370




A  
B  
C  
D  
E  
F  
G  
H  
I  
K  
L  
M  
N  
O  
P  
Q  
R  
S  
T  
U  
V  
W  
X  
Y  
Z  
A  
B  
C  
D  
E  
F  
G  
H  
I  
K  
L  
M  
N  
O  
P  
Q  
R  
S  
T  
U  
V  
W  
X  
Y  
Z











h. 23, 27 Br. 23 (27)

Vc  
2911

P A N E G Y R I C V M C A R M E N.  
I N A D V E N T V M E T  
honorem.

ILLVSTRISSIMI  
PRINCIPIS AC DOMINI  
D. AVGVSTI DVVIS SAXO-  
NIAE, SACRI ROMANI IMPERII  
Archimarschalci & Electoris, Landgrauj Thuringia,  
Marchionis Mysnia, & Burggrauj Magdeburgensis, Domini  
sui Clementissimi.  
Scriptum.

A

IOBO FINCELIO D. PHYSICO  
in Repub. Cygnea.

I E N A E  
E X O F F I C I N A T Y P O G R A P H I -  
ca Donati Ritzenhani, Anno  
no 1 5 7 3.

